



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Exempla, In Septem Capitalivm Vitiorm Detestationem,
Per Qvadragesimam, An. 1646. narrata**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1649

§. 10. Dei Filij erga peccatorem exprobratio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49161](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49161)

X.
DEI FI-
LII ERGA
PECCATO-
REM EX-
PROBRA-
TIO.

Quapropter, proxima nocte, desperato iu-
ueni, in tenebris trepidanti, neque vlla salu-
tis remedia circumspicienti, alius se stitit,
vir conspiciendum, luce clarissima refulgens.
Erat hic aspectu longè iunior priore; ceterum
ab imagine atque vultu prioris non multum
abludens. Quanquam habitu atque ornatu
valde diuerso. Neque enim longa illi palla
fuerat, sed nudo propemodum corpore ince-
debat; in capite coronam è spinis acutissi-
mis contextam, in humero ponderosæ crucis
arborem gestans. E lateris plaga, tanquam
è fontis perenni scaturigine, sanguis illi ebul-
liebat. Hic talis taliq̄ue aspectu vir ad agrum,
in lecto, sollicitè vigilantem accessit, atque
voce haud obscura interrogans dixit: *No-
stine me, qui sim?* O ouem verè errantem,
quæ neque vocem, neque vultum Pastoris
sui nouit! Quousque tandem se se ignorantia
etiam hominis Christiani extendit, vt neque
sciat, neque agnoscat Redemptorem! Iuuenis
enim interroganti respondit: *Non noui, qui
sis, sed, nisi me oculi frustrantur, illi haud absi-
milis es, qui funestissimo, hesternâ nocte, nun-
cio me externauit.* Cui rursus is, qui ponè
astitit, aiebat. *Ne mirare, si illi similem me vi-
des, cum quo, in vna eademq̄, diuinitate similis
enibi*

mibi honor, similisq; gloria sempiterna debetur. Sum etenim IESVS CHRISTVS Dei Filius, quem, humani generis amore, infinita mea misericordia è cælo traxit, in virgineum Maria Matris mea uterum. Vnde mortali carne indutus, velut sponsus, de thalamo processit. Ita Dominus formam serui accepit, & in similitudinem hominum factus, Mundo me meamq; infinitam, in corpore, ostendi bonitatem. Cui viam ad cælum, verbis, signis, prodigijs, exemplis demonstravi; meritis aperui. Fatigatus enim, fame atque siti cruciatus, æstum & frigora passus, opprobrijs saturatus, tandem, in latronis modum, captus, iniquissimè accusatus, iniustissimè damnatus, ignominiosissima deniq; & crudelissima morte interfectus sum, ut divina iustitia, pro tot iniurijs, ab hominibus Deo illatis, satisfaceret. Quando igitur tu, ô infelicissime iuuenis, horum omnium à me acceptorum beneficiorum immemor, merita mea, & gratiam omnem pedibus conculcauisti, ecce huc veni, & adsum, ut tibi indicem, filium te esse æterna damnationis. Dixit, & cum dicto, manibus exceptum defluentem è lateris plaga recentem calentemque sanguinem, indignabundus in faciem decumbentis proijciens hæc addidit: *In ignominiam tuam accipe*

Z 2

sanguini-

sanguinem pretiosum, qui in salutem tuam aliorumq; effusus est. Hæc effatus desijt videri.

XI.
EXTREMA
PERICULA
SÆPE
DOCENT
SAPERE.

Diuina hac voce iteratò fulminatus adolescens, spe & animo destitutus, pallido & buxante vultu, ac toto corpore contremiscens, cùm nesciret, quid sibi consilij, in rebus tam deploratis, capiendum esset, vbi primum diluculauit, extemplo pium suum fratrem iussit accersiri; quem antè, vt anguem erat auersatus. Sed multos sæpe extrema pericula, ad extrema remedia compulerunt: vt que arcta fames, optimum cibi condimentum, etiam mucidum panem sapidum facit; ita summa necessitas grata reddit, à quibus antea abhorrebamus. Adfuit illico vocatus, & se vocari lætus, sibi pariter ac fratri est ex animo gratulatus. Verùm vbi eius tam miserandum aspexit vultum, vt videretur sibi fratrem, in ipso fratre, amisisse; vehementissimè obstupescens, cœpit ingemiscere, atque vbertim lachrymare. Venit mihi hîc in mentem id, quod de amicis Iob scriptum legimus. *Nam audientes tres amici Iob omne malum, quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo, Eliphaz Themanites, & Baldat Suhites, & Sophar Naamathites. Condixerant enim, vt pariter venientes visitarent eum, & consolarentur.*

Iob. 2. 11.